



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Sectio II. De modis acquirendi beneficia Ecclesiastica, & modo observando
in eorum collatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nem habeat. De Monachis 12. h. e. ita tamen, ut sua semper utilitas etiam maneat unioni de talis Ecclesie proventibus, prout natura unionis exigit, & constitutio Pij V. statuit.

SECTIO II.

De modis acquirendi beneficia Ecclesiastica, & modo observando in eorum collatione.

§. I.

Quot, & quibus modis acquirantur beneficia, tum in genere, tum in specie?

Beneficia vel justè & legitime acquiruntur, vel injustè & illegitime: justè & legitime acquiruntur per Canonicam institutionem *juxta Reg. 1. in 6.* intelligendo institutionis nomine, quamlibet legitimam provisionem, & nomine Canonicæ institutionis, modum providendi à SS. Canonibus approbatum. Injustè verò, illegitime, & non Canonicè acquiruntur beneficia, quæ obtinentur, jure consanguinitatis v. g. præterendo successionem quasi hæreditariam, aut ex testamento debitam, aut alio modo à jure reprobato, qui modi plurimi sunt, cum amor reddituum Ecclesiasticorum varios eorum acquirendorum modos excogitet; approbati tamen à jure modi beneficia acquirendi sunt electio, postulatio, præsentatio, institutio, collatio, &c. de prioribus modis alibi, de collatione in hoc Tit.

§. II.

An, & quale jus per collationem alicui factam acquiratur in beneficio, post, si ve etiam ante acceptationem illius?

Collatio proprie loquendo, est concessio libera, seu assignatio beneficii vacantis, ab habente potestatem facta, si absenti, & ignoranti fiat, jus quæritur in beneficio, ante hujus acceptationem non tribuit, collator tamen illud conferre valide non potest, nisi prius acceptare recuseris, ut dicitur *e. Si tibi 17. h. 1. in 6.* aut tempore acceptandum tibi notificatum, & postquam jam transierit, absque tua acceptatione. Et hinc per solam collationem alicui factam, ante acceptationem quæritur acquiratur jus ad rem, post acceptationem tamen acquiratur jus in re, si ve quæritur dominium in beneficio, etiam ante provisionis apprehensionem, ut illud verum sibi possit à possessore, aut detentore pro jure illius agere, si tamen ad eum qui contulit beneficium, potestas extendendi investituram, si ve compositionem possessionem pertineat. Et quamvis collatio beneficii nonnunquam in jure dicitur donatio, quæ nullum jus tribuit ante acceptationem, neque tamen in consuetudine habet se, ut donatio, cum ex parte conferentis, collatio beneficiorum tractatur, non ex mera liberalitate procedat, sicuti proprie dicta donatio, sed ex obligatione officii, ratione cujus debet in beneficiis vacantibus provideri.

§. III.

Ad quid teneatur, qui scienter
conlulit Prabendam alicui ignoranti,
quam conferre non poterat?

Sciat collator, conferre tale beneficium non posse, conferat tamen alicui, ignoranti hunc defectum, & bonam fidem habenti, tunc hoc evicto tenetur, cum primum potest aliud illi beneficium vacans, aut proximè vacaturum, cum vacaverit, conferre, c. *Inter cetera* 17. h. t. ne videatur in fraudem, & ad deludendum alterum agere tantum voluisse Episcopum; vel certè statuente hoc jure in odium Episcopi dolose agentis, in hac collationis materia. Unde si Episcopus conferens, vel alius collator non scivit, quod beneficium tale conferre non possit, ad nihil tenetur conferens bonà fide beneficium, quod conferre non potest; cum omnis fraudis suspicio in tali casu absit.

§. IV.

Quomodo beneficia conferri debeant, & an etiam possint sub conditione, vel modo?

Beneficia Ecclesiastica primò debent conferri gratis, nullo interveniente pretio, præmio, aut mercede &c. ad cavendam Simoniam. Secundò debet liberè fieri, non per metum injustum, aut vim &c. tanquam liberalis quædam donatio. Tertiò non debet esse sub aut obreptidè collatio fuisse obrepta, cum talis sub aut obreptio tollat liberum consensum conferentis. Quartò debet fieri (saltem ut licitè fiat) collatio beneficii palam coram aliis, & non clandestinè, & secretò, cum tales actus clandestini sint

suspecti de periculo fraudis, aut Simonie &c. Quintò beneficium, quod conferitur, debet esse vacans, ne fiat contra c. 1. de concess. praben. Sextò debet conferri sine diminutione, ut vult capit. *Unicum* vs *beneficia sine diminut.* Sc. Septimò debet conferri in perpetuum, juxta definitionem beneficii propriè dicti. Octavò non debet conferri alternativè sive disjunctivè, *confero hoc, vel illud beneficium, confero huic, vel illi beneficium*, ne collatio beneficii incerta & dubia videatur. Nonò non debet unum idemque beneficium, simul, & conjunctim duobus conferri, cum hoc sit contra c. *Tua* 20. h. 2. Decimò quamvis scriptura ad validà collationem necessaria non sit, nisi fortasse in beneficiis à Sacra sede, vel ejus Legato obtentis, plurimùm tamen conducit scriptura ad probationem factæ collationis, si in judicio de ea dubium oritur. Undecimò sub conditione propriè dicta, quæ suspendit actum in futurum, nulla est collatio, (quia collationes tales inter eos actus legitimos numerantur, qui secundum juris dispositionem, nec conditionem, nec diem recipiunt) & quamvis collatio sub conditione extrinseca de presenti, aut præterito facta, non suspendat actum, quia tamen adjunctam incertitudinem habet, ideo rejicitur argu. c. 2. de elect. in 6. juncta Gloss. V. *Incerta*. nisi conditio talis de jure ipsi collationi inesset, quæ etiam si exprimat, non facit collationem invalidam, sicuti nec modus, qui de jure inest collationi; hinc valida est collatio, quæ fit his verbis, *confero tibi hoc beneficium, si jam vacat; confero tibi hoc beneficium parochiale, ita tamen ut obligatus sis intra annum sacerdo-*

tium suscipere &c. cum enim tam illa conditio quam hic modus ipsi collationi de jure in sit, nihil vitabit collationem, etiam si exprimat, cum tales collationes absolutæ sint, conditionem & modum, qui de jure inest, continentes; aliter tamen de Summo Pontifice, conferente beneficia loquendum est, qui ratione supremæ suæ, & absolutæ potestatis, neque ab his conditionibus dependet, & conferre potest beneficia, tam absolute, quam conditionate &c.

§. V.

An possit beneficium novum onus imponi in collatione ejusdem?

Spirituale onus, ex causa rationabili, potest imponere Episcopus cum consensu sui Capituli beneficio, dum vacat) ita ut quicumque beneficium obtinebit, ad onus hoc teneatur. *c. Significatum 11. h. 1. ad docendum Sacram Scripturam v. g. ad catechizandum, ad certa Sacra dicenda &c.* cum sit honestum onus, quod legitimâ auctoritate impositum, detractare non potest Beneficiarius) non tamen potest novum hoc onus imponere personæ beneficiari, per modum pacti, conditionis, modi &c. cum beneficia conferenda sint purè & absolute, nisi consuetudo aut statutum talis Ecclesiæ certis quibusdam conditionibus v. g. personam etiam obligare permittat. Potest tamen in casu, quo duo electi fuerunt ad eandem Dignitatem v. g. qui ad concordiam, & pacem tenendam in eundem Judicem compromiserunt, ut litem componeret, compromissarius talis uni adjudicare beneficium, cum hoc tamen onere Beneficiari, ut ex proventibus illius beneficii, certam pensionem, annuam alteri

parti, solvat, imponendo hoc onus beneficio, ita ut ad successorem in beneficio transeat, sed personæ Beneficiari, ita ut morte Beneficiari extingatur, ut ne videatur circa beneficium aliqua diminutio fuisse facta.

§. VI.

An ad collationem beneficiorum, quorum provisio ad Capitulum spectat, vocandi sint etiam Capitulares absentes?

Vocandi quidem sunt, si committi fieri potest, ed quod non sit tantum remoti, ac commodè accessum possint. nisi consuetudo aliter habeat argu. *c. Cum in Ecclesiis 33. h. 1. in d. collationis jus conferendi spectat ad collegium, consequenter singuli de collegio vocandi debent; quod si tamen collatio sit libera Collegio, sed necessaria, datum superioris v. g. facienda, non necesse, ut vocentur absentes, cessariò parendum sit illi mandatum, à majore parte congregati Capituli potest.*

SECTIO III.

Quibus ius & potestas conferendi beneficia Ecclesiastica competat?

§. I.

Quam potestatem habeat Summus Pontifex in conferendis beneficiis, & quibus modis ea conferri possit?

Quod Summus Pontifex omnibus beneficiis Ecclesiasticis, sive electis